

Hoc situs est tumulo Gerardus nomine Ranzou,
Magnanimo Paulo qui patre natus erat.
Cimbria quem genuit, rapuit Fonia, quinque
Dum numerat vitæ lustra peracta sua.
Italiæ fuit hic iuuenis versatus in oris,
Nec minus huic etiam Gallia nota fuit.
Acquaturus erat simili virtute parentem,
Ni fera rupisset stamina Parca manu.
Huius ob interitum planxit Rex Danicus, atque
Non minus Holsati condoluere Duces,
Quod sic ante diem miserando flebilis iestu,
Dum nimis audacter dimicat, ense cadit.
Discite non temerè iuuenes configere dextram,
Mortem pro ludo Mars quia dirus habet
Henricus Ranzouius
patruus.

Aliud
Flos cadit, auroræ modò qui fulgebat ad ortum,
Præterit exiliens fornice riuis aquæ.
Imbre tumet grauido, sed mox vaga bulla residit,
Frangitur, & leuitur splendida massa vitri,

Dulcis abit subito languenti pectore somnus,
Excita cum studio est mens generosa suo.
Vmbra velut speculo leuis euanescit imago,
Auolat in ventos missus ab ore sonus.
His citius cadit omnis homo, licet omnia fluxa,
Flos, aqua, bulla, vitrum, somnus, imago, sonus.
Quod subito præsens testatur morte Gerardus,
Flos iuuenum, patriæ spes noua, dulce decus.
Henningus Conradinus.

Aliud

Dum nimis audacter consertâ dimico dextra,
Ah miserum, ante diem funeris, ens cado.
Sic fuit in fatis ut tali morte perirem,
Quis scit viatorem qualia fata manent?
Poena Dei lenta est vindicta q̄b lenta supremi,
Craftina non abiit, non hodierna dies.
Disce meo exemplo, quicunq; es, candide Lector,
Cum socio haud temerè conseruisse manum.
In dubio Mars est, sed mors certissima semper,
Nunc hunc, nunc alium, funere dura premens.
Petrus Lindebergius.

Porro, in Franciscanorum Cœnobio, eximia etiam fundatoris aula existit, vbi nunc alitur docentes omnes,
& studiosi pueri Schola triuialis, instituto & liberalitate Friderici Secundi Daniæ Regis, vbi etiam Nosocomium
Regium, & Placitum huius insulæ generale. In hac etiam ciuitate est Coenobium D. Ioannis, vbi nunc, defunctis fra-
tribus, Regia Curia existit. Forum est amplum iusticiarum & piscarium, ad cuius orientale latus, quondam ædes
D. Gertrudi sacra, planè nunc desolata. Publicum hic etiam cœmiterium existit, quondam ad Monasterium Do-
minicanorum spectans, quos Sororibus nuncupabant. Cuius quidem Monasterij templum eleganter ornatum,
post fugam fratrum, destructum, reliquis ædificijs, quibusdā loci Nobilibus distributis. Fuit & hic templum S. Geor-
gij nunc desertum, habens quondam Nosocomium adiunctum. Item Templum D. Virginis, cuius Præpositus & Pa-
tronus est Cancellarius Regni Vbi & præcipuam sedem & curiam habet. Palaticum quoque Episcopale Otini fuit,
speciosum locum occupans, nunc in ciuium habitationes conuersum. Præter forum piscarium, Est hic etiæ Forum
nouum, siue Regium, singulis sabbatinis diebus nundinis celebratum. In isto foro, quondam erat Xenodo-
chium, vulgo, das Elende hauf. In hoc foro Serenissimo Friderico ij. Daniæ Regibona memoria, eiusq;
filio Christiano, nunc electo Regi Daniæ, homagium præstitum. Hic quoq; ab eodem Serenissi-
mo Rege, fœlicis recordationis, collatum est feudum Slesuici & Holsatiz, Du-
ci Adolpho, & Ioanni fratribus, vt etiam Ioanni iuniori, quæ a-
etio ad centenos quasi annos
quieuerat.